

bus dicitur : « Nescitis quia Angelos judicabimus¹? Oculi » mei super fideles terræ, ut considerent hi mecum. Am- » bulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Mihi » ait, non sibi. Multi enim ministrant Evangelium, sed sibi ministrant : quia sua quærent, non quæ Jesu Christi². Quid est, Christo ministrare? Ea quæ Christi sunt quæ- » rere. Et quidem quando mali annuntiant Evangelium, alii salvantur, illi puniuntur. Dictum est enim : « Quæ di- » cunt, facite; quæ faciunt, facere nolite³. » Non timeas ergo quando a malo audis Evangelium. Væ illi qui sibi ministrat, id est, qui sua ibi quærit : tu Christi accipe. « Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. »

XI. « Non habitavit in medio domus meæ faciens su- » perbiam⁴. » Referte ad domum illam, id est, ad cor. Non habitabat in corde meo faciens superbiam : nullus talis habitabat in corde meo : resiliebat enim inde. Nemo habitabat in corde meo, nisi mitis et quietus : superbus non illic habitabat. Non enim habitat in corde justus injustus. Sit a te justus remotus nescio quot millibus et mansionibus : simul habitatis, si unum cor habetis. « Non ha- » bitavit in medio domus meæ faciens superbiam. Loquens » iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum. » Hæc est via immaculata, ubi intelligimus quando ad nos veniat Dominus.

XII. « In matutinis interficiebam omnes peccatores ter- » ræ⁵. » Hoc obscurum est, dignamini advertere : jam finis Psalmi est. « In matutinis interficiebam omnes » peccatores terræ. » Quare? « Ut disperdam de civitate » Domini omnes operantes iniquitatem. » Sunt ergo in civitate Domini operantes iniquitatem, et quasi parcitur eis modo. Quare? Quia misericordiæ tempus est : sed ve-

¹ 1 Cor. vi, 3. — ² Philip. ii, 21. — ³ Matth. xxiii, 3. — ⁴ Psal. c, 7. — ⁵ Ibi 8.

niet et iudicii; quia sic cœpit Psalmus : « Misericordiam » et iudicium cantabo tibi, Domine. » Jam enumeravit superius, quia non illi adhæserunt nisi boni. Malis non adhæsit, nec delectabatur epulis iniquitatis eorum, qui sibi ministrabant, non Domino, id est, sua quærebant. Et quasi diceretur illi : Et ut quid tales in civitate tua tanto tempore tolerasti? Tempus misericordiæ est, ait. Quid est, tempus misericordiæ? Adhuc nondum revelatum est iudicium : nox est, apparebit dies, apparebit iudicium. Audi Apostolum : « Itaque nolite ante tempus » quidquam iudicare. » Quid est « Ante tempus? » Ante diem. Audi quia ante diem dixit : « Donec veniat Domi- » nus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifesta- » bit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a » Deo¹. » Nam modo, quandiu non vides cor meum et non video cor tuum, nox est. Nescio quid ab homine petisti, non accepisti, contemni te putas, et forte non contemneris; cor enim non vides : et cito blasphemias, in nocte danda est tibi venia erranti. Diligit te homo nescio quis, et putas quia odit te; aut odit te, et putas quia diligit te : sed quodlibet sit, nox est. Noli timere, præsume in Christo, in illo habeto diem : non est quid mali de illo sentias, quia securi sumus, et certi sumus, quia falli non potest, amat nos. De nobis autem invicem nondum certi sumus. Deus enim novit dilectionem nostram in invicem : nos autem etiam si diligimus nos invicem, quis videt qua dispensatione a nobis fiant ista? Quare nemo videt cor? Quia nox est. In ista nocte tentationes abundant. Quasi de ipsa nocte dixit Psalmus : « Posuisti tenebras, et facta » est nox, in ea pertransibunt omnes bestię sylvæ; ca- » tuli leonum rugientes ut rapiant, et ut quærant a Deo » escam sibi². » In nocte quærent escam catuli leonum.

¹ 1 Cor. iv, 5. — ² Psal. ciii, 20, 21.

Qui sunt catuli leonum? Principum et potestatum aëris hujus dæmones et angeli diaboli¹. Quomodo sibi quærunt escam? Quando tentant. Sed quia non accedunt, nisi Deus eis dederit potestatem, ideo dictum est: « Quærentes a Deo escam sibi. » Petiit Job tentandum. Qualem escam? Opulentam, pinguem, justum Dei, cui ipse Deus testimonium perhibuit, et ait: « Homo sine quærela, verus Dei cultor fuit. » Petiuit illum tentandum, quærens a Deo escam: et accepit tentandum, sed non opprimendum²; purgandum, non evertendum; aut forte nec purgandum, sed probandum. Tamen et qui tentantur, aliquando traduntur occulto merito suo in manus tentatoris, quia traditi sunt forte in concupiscentias suas. Nam diabolus nulli nocet, nisi acceperit potestatem a Deo. Sed quando? In nocte. Quid est in nocte? In isto tempore. Cum autem transierit nox, et venerit dies, mittuntur mali cum illo in ignem æternum, justi vero in vitam æternam³. Nullus illic erit tentator, quia non sunt illic catuli leonum: quia transacta est nox. Ideo Dominus Discipulis suis ait: « Hac nocte postulavit Satanas vexare vos sicut triticum, et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua⁴. » Quid est, « Vexare sicut triticum? » Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primo attritum, ut panem faciat: sic neminem manducat diabolus, nisi primo per tribulationem everterit. Conterit, ut manducet: tu autem quando tribularis, si maneat granum, non conturberis: nihil tibi contingit. Quomodo quando boves triturant, numquid in solum triticum intrant? Simul mittuntur cum tribula in aream. Sed numquid timendum est tritico? Absit. Non conciditur nisi palea; triticum spoliatur superfluis, et veniat ventilatio, et inveniet pu-

¹ Ephes. ii, 2. — ² Job. i, 8-12. — ³ Matth. xxv, 46. — ⁴ Luc. xxii, 31, 32.

ram massam: quem invenit granum mittit in horreum suum; et acervum paleæ comburet igni inextinguibili¹.

XIII. Unde dixi hoc? Quia diem in spe habemus. Dies nobis in Christo debet esse. Nam quandiu inter tentationes sumus, nox est. In ista nocte parcit Deus peccatoribus, ut non illos tollat; flagellat illos tentationibus, ut corrigantur; tolerat illos in civitate sua. Putamus semper tolerabit? Si semper misericordia est, non est iudicium: Si autem, « Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine; » modo parcit, tunc iudicabit. Sed quando iudicabit? Cum transierit nox. Ideo dixit: « In matutinis interficietiam omnes peccatores terræ. » Quid est, « In matutinis? » Cum iam dies venerit, nocte transacta. « In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ. » Quare eis parcit usque ad matutinum? Quia nox erat. Quid est, nox erat? Quia tempus erat parcendi: parcebat, cum corda hominum essent occulta. Vides aliquem male vivere, toleras illum: nescis enim qualis erit, quia nox est; utrum qui hodie male vivit, cras bene vivat; et utrum qui hodie bene vivit, cras malus sit. Nox est enim, et omnes tolerat Deus, quia longanimis est. Tolerat, ut convertantur ad illum peccatores. Sed qui non se correxerint in isto tempore misericordiæ, interficientur. Et quare interficientur? Ut dispergantur de civitate Domini, de societate Jerusalem, de societate sanctorum, de societate Ecclesiæ. Quando autem interficientur? « In matutinis. » Quid est, « In matutinis? » Cum nox transacta fuerit. Quare modo parcit? Quia tempus est misericordiæ. Quare non semper parcit? Quia, « Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine. » Fratres, nemo sibi blandiatur. Interficiuntur omnes operantes iniquitatem: interficiet eos Christus in matutinis, et disperdet eos de civitate sua. Sed modo

¹ Matth. iii, 12.